

bus ad ortum confedit : secutus Asiaticæ oræ præfectus cum paulo minoribus copiis, is ad meridiem metatus est : novissime Rex ipse circa idus Junias affuit . Didici ego ab oppidanis ipsis & aliis qui obsidioni interfuerunt, tantam vim hominum circa urbem confedisſe, ut planitiem montium, latera, ac quacunque longe lateque extra oppidum patebat hominis proſpectus, omnia tabernaculis ac velis contexerit . Alibegus poſt Regis adventum ultra Bolianam caſtra tranſtulit : machinæ ac bellica opera ad demolienda mœnia continuo admota . In urbe mille & ſexcenti oppidani, mulieres ducentæ & quinquaginta erant : reliquam imbellem turbam ante hoſtium adventum ex urbe emiſerant . Aderant & mercenarii milites ſexcenti, & in his centuriones Carolinus, Antonius Cortonius, Franciſcus Sanſcrobarius, Michael Spalatinus, ac plerique alii viri fortes : eratque & prætoris & legati nomine Antonius Legius . Hæ copiolæ Scodræ erant, quum tot millibus barbarorum, tantisque conatibus ſecundo ab hoſte oppugnari cœpit; quæ eo alacrius hoſtem expectavere, quo omnia paratiora erant ad perferendam obſidionem, quam quatriennio ante fuiſſent . Diſjectis mœnibus, bis hoſtis oppidum oppugnavit : omnibus ferme instrumentis, quæ priore obſidione tam Scodrenſes, quam barbari habuerant, tum quoque uſi dicuntur . Sed eo fœdior utrinque ſtrages edita, quo majores belli apparatus hi fuere, quam illi, ac majoribus omnino conatibus ob Regis præſentiam tum demum, quam antea Solimano duce, res geſta eſt . Bis, ut dixi, paucis diebus Scodrenſes oppugnati; atque utrunque certamen in plures horas, multaque cum cæde diſtractum . Ferunt tantam ſagittarum vim in ipſos propugnatores a barbaris conjectam, ut pluribus locis tres, quatuorve ſagittæ inter ſe confixæ repertæ ſint . Accepi a fide dignis, catellam clamoribus conſternatam, ex ſtatione ubi erat, trepide fugientem, undecim ſagittis tergo affixis, domum veniſſe . Et brevi (ne parum hæc fidei convenire credantur) illud omnes affirmant, multos menſes quibus poſt Othomani diſceſſum tenuit obſidio, & ad furnos calefacien-

*Sagittarum
densitas in-
credibilis .*